Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1685

Quelle:
Copyright:

De Sex Erroribus et nobis relatae alibi, quibus adhaerent aliae *Bernardi*, *Gregorii M. Auguſtini*, *Hieronymi*, *Ambroſii*, *Joh. Chryſoſtomi*, *Iſidori*, *Bedae*, *Anshelmi*, quae *Huſſo* in rem ſuam opportunae videbantur; non enim in ejus controverſiis veterum Eccleſiae Doctorum reverentia tantopere evilluerat, ut poſtmodum accidit.

VI. *fol.* 152. *Sententia Magiſtri Johannis Huſs.* Lata nempe in eum a Concilio *Conſtant.* ut alibi.

VII. *fol.* 153. p. 2. *Sermo qui factus eſt in degradacione Magiſtri Johannis Hus.* Videlicet *Jacobi* Ep. *Laudenſ.* Ejus initium: *Diuini ac ſummi preſidij ſupplici invocacione confiſus* &c. Ut alias. Pluries item impreſſus.

VIII. *fol.* 156. Articuli e Libro *Joh. Huſſi de Eccleſia* a *Conſtantienſi* Concilio damnati cum Monitorio praevio ad Commiſſarios in materia fidei, ut *Boemos* informent de ſincera intentione Concilii &c. Adi *Indicem.*

IX. *fol.* 159. Relatio boh. de Supplicio *Joh. Huſſi*, ſive *Paſſigie Miſtra Jana Huſſi.* Ut alibi.

X. *fol.* 168. Ejusdem *Epiſtolae* IV. bohemicae, quae latine redditae habentur edit. *ſupracit. n.* XII. XIII. XIV. XIX. Adi *Indicem.*

CCCCXXVIII.

920 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 219. 4. non una manu exaratus, et rubricis diſtinctus continet: I. praemiſſo Indice Tractatum *Joh. Huſſi de Eccleſia*, cujus initium: *Cum quilibet viator debet fideliter credere* &c. Extat edit. *Opp.* 1715. T. I. p. 243. et nobis ſaepius relatus eſt.

II. *fol.* 101. ſequuntur *Articuli Magiſtro Hus oblati in carcere formaliter de ſuo libro extracti de eccleſia.* Ineunt: *Ego Johannes hus in ſpe ſacerdos ihesu chriſti* &c. Eſt Series illa XXXIII. Articulorum, de qua dixi *Cod.* CCCCXXI. hujus initii: *Eccleſia katholica ſeu vniuerſalis* &c. Paullo aliter edit. *cit.* p. 19.

III. *fol.* 109. p. 2. *Ordo procedendi in cauſa Magiſtri Jo. h. per ipſummet ſignatus.* Initium: *Item dominus ſbinco pragenſis Archiepiſcopus fecerat mandatum Magiſtris doctoribus baccalariis et ſtudentibus, ut libros vicleff reponerent, ut in quibus errores reperirentur, in dei nomine comburerentur.* &c. Atque ita narratur Series geſtorum tam *Pragae*, quam in *Romana* Curia, omnia tamen in favorem *Huſſi*, dum concludatur: *Item prefatus Magiſter Joh. h. jam venit ad iſtud generale concilium, in quo vult fidem ſuam oſtendere paratus reſpondere publice, et ſicut multi ſiniſtre habent de ipſo opinionem, ſic ab ipſo audiant rectam fidem.* Hinc liquet ſcribendi tempus et Scripti finis, quod ab *Huſſi* Amicis ſub ejus adventum *Conſtantiae* diditum fuiſſe puto. Habetur edit. *Opp. cit.* p. 109.